Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent. ejusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. & Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia Lipsiensi, Commentarius In Librum ...

Mülmann, Johann

Dresdæ, MDCCI

VD18 10367071

Caput XVIII.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18377

Visual Library

CAPUT XVIII.

CONgregato universo populo, erigitur tabernaculum testimonii, qvod est sancti ministerii domicilium in urbe Siloh. Postea missis Geographis, qvi reliqvam terram in 7. partes convenienti ratione dividunt, confertur Benjamitis prima ex illis hæreditas.

Partes tres sunt I. οἰκοδομικὴ de erectione tabernaculi sacri & continetur v. 1.

II. est παρεξυλικὴ *adhortativa*, qva Israëlitæ excitantur, ut properent ad occupandam reliqvæ terræ possessionem usq; ad v. 10.

III. est χωρογραφικὴ, in qva terra tribui Benjamin deputata describitur.

v. 1. Congregatiqve sunt omnes) In hac prima parte 4. notentur causæ sive circumstantiæ.

I. *Causa efficiens* sive erigens tabernaculum est universus cœtus Israelitarum.

II. *Subjectum* seu locus est Siloh, mons ac oppidum in tribu Ephraim. Posuit enim Josue ideò tabernaculum de tribu sua, ut sacrorum cultuum accuratior inspector esse posset. Mansit autem in Siloh arca Domini usq; ad tempora Heli sacerdotis, tunc à Philistæis rapitur 1. Reg. IV, 11. sed restituta deportatur in Cariath-Jarim in domum Abinadab. 1. Reg. VII, 1. Unde eam David in Sion suam civitatem transfert 2. Reg. VI, 2.

VI, 2. Et tandem Salomo eandem in sancto sanctorum novi templi collocari curat 3. Reg. VIII, 6.

III. *Objectum* seu res erecta est tabernaculum testimonii, qvod alii reddunt: tabernaculum congregationis. Nam מוֹעֵד est â יָעַד *i. e. indixit, publicè significavit ad conventum.* Volebat enim DEus ad tabernaculum publicos conventus statutis temporibus fieri, in qvibus res sacræ solennibus ritibus tractarentur: promiserat etiam ejusmodi cœtibus suam præsentiam & benedictionem Exod. XX, 24.

IV. ἀφορμὴ sive *occasio* est publica tranqvillitas terræ. Nam Cananæis sub Israelitarum jugum coactis bella usitata cessaverant: id qvod significatur hisce verbis: *Fuit eis terra subjecta.*

Remanserant autem) Hæc est *secunda pars*, ubi Josua geminam orationem instituit. *Una* est ἐπιτιμητικὴ, in qva graviter objurgat ignavos cunctatores, in qvibus omnis fervor occupandi omnem terram frigescere videbatur v. 3.

Altera est παραινετικὴ, qvam dirigit partim ad 7. tribus mandans ac jubens 36. Geographos lectissimos ablegare ad lustrandam & in tabula pro tribuum necessitate dividendam terram reliqvam v. 4. partim ad Geographos ipsos, ad qvos eandem instructionem repetit v. 5. Ipsi vero omnia rectissimè curant, terræ divisionem in libro ingeniosè consignatam Josuæ offerentes v. 9.

v. 11. Ascendit sors prima filiorum Benjamin) Hæc est *tertia pars* de possessione

Ben-

Benjamitarum, qvæ describitur bifariam 1. *â locis continentibus* sive ambientibus terminis usq; ad v. 21. 2. *â locis contentis*, vel urbibus intra terminos illos sitis Qvod attinet loca continentia, definitur septentrionale latus v. 12. latus Occidentale v. 14. Meridianum. v. 15. Orientale. v. 20. Deinde loca contenta i. e. civitates Benjamiticæ numerantur â v. 21. ad finem usqve.

v. 17. Pertransit usq; ad tumulos) *Hebraicè* גלילות, *Lutherus* vertit die Hauffen/intelligens terram collibus & tumulis abundantem. 70. interpretes sentiunt Galiloth esse nomen urbis, efferunt enim in singulari num. genere fœm. ἡ Γαλιλωθ.

v. 21. Vallis Chasis) *Benedictus Arias Montanus* reddit *planicies Chezis*. *Lutherus* utrumq; nomen pro proprio sumit Emek Chezis, sicuti v. 24. pro villa Hemonah idem legit Kephar Amunai.

LOCI THEOLOGICI.

I.

De Conventibus Ecclesiasticis.

Necessarii sunt conventus sacri ad urgenda religionis divinorumqve cultuum exercitia. Ut enim Satanas rector iste tenebrarum clandestinos hominum concursus amat ac promovet Eph. VI. 12 1. Joh. I, 5. ita DEus, qvi lux est, vult verbum suum in tectis i. e. publicè prædicari Matth. X, 17. & Luc. XII, 3. & Sacramenta in aprica luce administrari: Dicit enim: *Ite in mundum universum, docete omnes gentes &c.* Hac de causa collocatum est tabernaculum testimonii in Siloh,

loh, ac postea in Jerusalem, oppidis nobilibus, ne populus ignorare posset, qvo in loco sacrificia offerri & annuæ feriæ citra DEI offensionem celebrari deberent. Atq; ob id sacrarium istud dictum est tabernaculum מוֹעֵד i. e. *indictionis*, utpote qvod DEus omnibus cœtibus ad res sacras confluentibus indictum destinatumq; esse voluit: sic apud nos qvoqve necessarii sunt sacri conventus, qvia sunt publicæ officinæ Spiritus S. in qvibus docendo & consolando, adhortando & dehortando salutaria DEI vasa efficit & præparat.

II. Sicut hîc omnes Israelitæ congregantur ad sacri tabernaculi ædificationem: ita *nos decet omnes* unanimi studio & sumtibus communibus *ministerium publicum divini verbi adjuvare*, ut hoc pacto debitam DEo gratitudinem pro doctrina salutis declaremus. Sunt autem DEI tabernacula apud nos non tantùm templa sacra, sed etiam concionatorum habitationes, scholarum & Xenodochiorum ædificia, qvæ communibus sumtibus adversus ruinam munienda sunt ad testificandam nostram, cùm erga DEum pietatem, tùm erga DEum dilectionem. Hîc concionatori amplissimus patet campus taxandi eos, qvi ad res sacras nihil laboris & adjumenti conferunt, vel etiam sumtus ab aliis ad pios usus destinatos, qvantum possunt, diminuunt.

III. *Opportunitatem ad promovendos sacros cultus* maximam affert pax & tranqvillitas terræ; id qvod significat textus, cum audimus tabernaculum esse tunc erectum, cum terra Israelitis esset subjecta i. e. cum Cananæi fractis viribus cogerentur arma deponere. Sic armorum strepitus omnes conventus dissipat, è con-

contrariô pax dissipatos denuò convocat, ut sine impedimento rebus sacris operā dare possimus; *tunc auditur vox gaudii & lætitiæ, vox sponsi & sponsæ, vox dicentium: Confitemini Domino:* Jer. XXXIII, 11. Orandus est igitur DEus, ut propter Ecclesiam suam patriam nostram pace & securitate florere jubeat.

IV. *Finis & effectus publicorum conventuum* in locis sacris est salus, felicitas & tranqvillitas hominum, qvam ex sacri ministerii usu capiunt. Parit enim verbi divini concio & Sacramentorum usurpatio veram DEI agnitionem, salvificam fidem, & per fidem securitatem conscientiæ. In his summa consistit felicitas ac universa salus. Ac de tantis beneficiis voluit nos & Judæos admonere DEus nomine Siloh qvod est â שָׁלַוָ i. e. *tranqvillè & securè vixit*, seu in otio felix fuit. Hinc German: Schuel & Græcum σχολή, locus eorum, qvi in otio liberali vivunt, & ex studiis sapientiæ & virtutum veram felicitatem qværunt. Sic qvi conveniunt ad loca sacris ritibus destinata, intrant scholam DEI, sive Siloh, in qva tranqvillè vivunt per fidem in Christum, & ex verbo sacro æternam beatitudinem cognoscunt. Contrà fugientes Ecclesiasticos cœtus relinqvuntur inqvinatæ conscientiæ, furiis agitandi, nec ubi acqviescant locum tutum inveniunt.

LOCI POLITICI.

I. De necessitate ministerii in Repub. felici.

In politia benè constituta nihil est magis necessarium, nihil magis decorum, qvàm *sacri Ministerii constitutio & observantia religionis:* In eo enim omnes legislatores ac Philosophi consentiunt, qvod religio

sit omnium rerum publicarum firmissimum fundamentum, âqvo omnis subditorum fides & in magistratum obedientia, pietas in parentes, caritas & justitia erga singulos pendeant. Nam florente in Rep. religione, firmiter cohæret totius regiminis compages: Eâdem contra mutante ac ruente, necesse est hanc qvoq; dissolvi & dilacerari. Qvare ut Judaica qvoq; politia prævalido fundamento inniteretur, posuit Josue sacrum tabernaculum in Siloh.

II. De modo procedendi in negotiis religionis.

Josue non erigit privato ansu templum Domini, sed omnes subditos congregat, ut operam suam in commune conferant. Sic *Magistratibus non licet arbitratu suo rituum sacrorum mutationes instituere*; multò verò minus licet ipsis subditos ad amplectendas religionis novitates minis & armis compellere: sed est totius Ecclesiæ tam gubernatorum, qvàm subditorum libera voluntate & mutuo consensu constituere & ordinare, qvæ verbo DEI vel præcipiuntur, vel saltem non prohibentur.

III. De negligentia & ignavia.

Qvod multi suis rebus ac bonis non fruuntur, aut in discrimen aliqvod adducuntur, ejus causa est propria desidia, ob qvam Josue 7. tribus de occupanda reliqva terra parum sollicitas acriter objurgat, exemplo suo Imperatores admonens, ne civium ignaviam tolerent. Est enim hoc vitium cùm omni in loco perniciosum, tùm inprimis post victoriam, qvandoqvidem hostes ex negligentia victorum sæpè audaciam sumserunt majorem cladem inferendi. Exempla vide apud *Polybium* lib. 1. fol. 31. Item lib. 3. fol. 276. & lib. 5. fol.

5. fol. 453. Sapienter itaqve dictum est á *Cyro* lib. 7. de ipsius institutione apud *Xenophontem*: εἰ μὲν τρεψόμεθα ἐπὶ ῥᾳδιουργίαν καὶ τὴν κακῶν ἀνθρώπων ἡδυπάθειαν, ταχὺ ἡμᾶς, φημὶ, ὀλίγου ἀξίους ἡμῖν αὐτοῖς ἔσεσθαι, καὶ ταχὺ πάντων τῶν ἀγαθῶν στερήσεσθαι *i.e. si deflexerimus ad inertiæ desidiam, & ad voluptuariam vitam malorum hominum, celeriter dico, nos parùm utiles nobis ipsis fore, & celeriter omnibus bonis privatum iri.* Qvod enim ignavis facilè eripi possit victoria, inde constat, partim qvod adversus astutam vigilantiam non vigilant, partim qvod nemini formidabiles sunt. Atq; hoc significare voluit *Lysander*, dux Lacedæmoniorum, qvi cum, Lacedæmoniis Corinthiorum murum segniter oppugnantibus, leporem è fossa prosilientem vidisset, *eos*, inqvit, *timetis hostes, qvorum inertia lepores in fossis dormiunt.*

IV. De officialibus seu ministris magistratuum.

In officiis distribuendis magna est adhibenda discretio & singularis electio, ut digni & idonei negotiis præficiantur: qvemadmodum Josue munus lustrandi & dividendi terram non qvibuslibet committit, sed iis, qvi de fece hominum cum consilio fuerant electi, & ob artem Geometricam, fortitudinem & prudentiam reliqvis omnibus videbantur præferendi. Sanè qvi dignitatis officia aut pretio vendunt, aut favoris gratia, neglecta peritiæ ratione, tanqvam malam mercem qvomodocunq; distrahunt, eos oportet Reipub. salute parùm affici, nec intelligere, qvantum intersit, utrum aliqvid dextrè vel secus curetur. Deinde *arduæ res non sunt uni sed pluribus tradendæ.* Nam multorum judicia ut sunt minùs suspecta: ita solent esse

perfectiora, & ut *Philosophus* loqvitur lib. 2. *Politic.* c. 9. κάλλιον ἕκαστον ἀποτελεῖται ὑπὸ τῶν αὐτῶν (πολλῶν) καὶ τάχιον *i. e. Unumqvodq; melius & expeditius perficitur ab iis* (intellige multis, nam de his loqvitur.)

V. De Geometriæ ac Geodæsiæ usu ac dignitate.

Studium Geometricum in Imperiis magnum habet usum. Indicat enim regionum situs ac terminos, ostendit provinciarum ambitus, metitur locorum capacitatem & angustiam, idq; inprimis, si in tabulis omnia fideliter consignata atq, artificiosè depicta spectantium oculis exhibeantur, sic fecerunt isti legati. Nam terram divisam & accuratè descriptam consignarunt in libro v. 9.

Apparet præterea ex hoc textu, studium illud ut antiqvissimum, ita laude esse dignissimum: & ut hæc pars Philosophiæ fidem Christianam non evertit. (Alioqvin Spiritus Sanctus dedignatus fuisset ullam ejus mentionem in hoc sacro libro facere) Sic *reliqvæ Philosophiæ partes*, ubi intra legitimi usus orbitam manserint, magnifaciendæ sunt, & propter fructus multifarios etiam â piis studiosis addiscendæ.

VI. De rebus politicis in timore Domini peragendis.

Qvod *Josue* in Siloh coram Domino sortes super terram distribuendam mittit, id non ideò facit, ut politica negotia cum Ecclesiasticis perniciosa κρᾶσιν confundat: Utrumqve enim genus actionum suo loco & tempore tractandum est, sed ut major esset sortilegii tan-

tanqvam divini oraculi reverentia. Discunt hinc magistratus, si actiones suas cum piis precibus conjunxerint, fore, ut DEus senatui publico præsto sit, actionesq; civiles nutu suo fortunet & promoveat.

CAPUT XIX.

IN hoc capite nanciscuntur ἀποκληρωτικὰς, seu factâ sortione, reliqvæ sex tribus suam hæreditatem: Josue verò accipit urbem Thamnathsarah. Qvibus ita absolutis totius terræ Canaan distributio ad finem feliciter perducta est.

v. 1. Et egressa est sors secunda) Hoc est, instituitur jam narratio, qvæ hæreditas obvenerit Simeoni, & describitur 1. κατ' διορισμὸν termini ambientis, qvi est tribus Juda, v. 1. 2. κατ' μερισμὸν intra eam sitarum urbium â v. 2. usq; ad v. 9. 3. καθ' αἰτιολογίαν, cur non plures urbes illi tribui assignatæ fuerint: In causa est hominum paucitas, de qva inprimis vide Num. I, 22. & cap. XXVI, 14. Creduntur enim plerique in Sethim cum principe suo propter fornicationem â Phineis interemti esse. Num. XXV, 9.

v. 10. Sors tertia filiorum Zabulon) Hujus sortis vel hæreditatis urbes occidentales recensentur v. 11. Sarith juxta promontorium Carmeli in angulo Occidentali & Septentrionali sita est: meridianæ exprimuntur v. 12. Orientales v. 14. Septentrionales v. 14. & 15.

v. 17. Isaschar egressa est sors qvarta)